

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0477

0475

0481

0471

0486

0466

0526

0426

0576

0376

0976

463

saeculares, Christiani haeretici, ibi etiam erant Sarraceni et Arabes, qui omnes de fragmentis sportae meae manducaverunt. Vinum ibi erat in copia, quia alii peregrini acceperant secum suos viascos, sed aquae ibi defectus erat, quod cernens quidam Arabs de convivis nostris accepta amphora per prona montis non cucurrit sed dilapsus decidit et post parvam moram rediit portans amphoram aqua recenti plenam, quam tulerat ex aliqua fonte nobis incognito. Vinum ergo aqua temperavimus et potu ac (b) cibo penitus consumtis, etiam usque ad crustas et minutissimas micas, convivio finem fecimus. Numquam per totam peregrinationem meam fuit sporta mea adeo evacuata et mundata, sicut ibi. Interea sol declinare incipiebat, et hortabantur nos Arabes ad descensum, antequam sol occumberet. Surreximus ergo et currendo repente descendimus et sole iam merso ad fratres nostros revenimus in monasterium ad XL Sanctos. Descriptio montis et loci dispositio superior patebit in sequentibus.

Ascensus montis S. Catharinae.

Vicesima quinta die, antequam illucesceret, surreximus de terra, in qua sub dio quievimus in curia monasterii, ut in montem iterum ascenderemus cum fratribus nostris, qui heri remanserant. Verum major pars illorum, qui prius in monte fuerant, mansit in quiete. Assumsimus ergo servos Arabes et asinarios et sportas cum cibariis, amphoras cum aqua eis imposuimus et praecedentem fratrem Nicodemum secuti sumus lentissimo gradu propter teneres et infirmos. Est autem a monasterio spatium satis longum per hortos et arbusta usque ad montis clivum, per quod ascendimus cum lunae beneficio. Cum autem ad montis clivum venissemus, intravimus crepidinem quandam montis altis parietibus rupium conclusam et de profundis ascendimus per viam multum asperam, nec inter haec lumen aliquod habuimus, quia conclusi rupibus lunae lumen habere non potuimus. Insuper tantum frigus erat in ista crepidine, ut dentibus strideremus; optavimus habere ignem, sed ignile non habuimus ut ignem faceremus. Quidam autem de Arabibus compatiens frigescentibus collegit quasdam herbas arefactas et manibus confricatis incendio aptavit assumtisque

Ende

Anfang